

No. 526. 1360. 9. Nov.

*Der Decan Dietrich bevrkundet, dass Helena verw. Quaz ihr Haus zu Meissen, genannt das Fuchsloch, dem Altar der hh. Jacobus, Georg und Dorothea in der Domkirche und dem jezeitigen Vicar desselben unter gewissen Bedingungen überlassen habe.*

In nomine domini amen. Nos Theodericus de Gogh dei gratia decanus ecclesiae Misnensis notum facimus — quod veniens ad praesentiam nostram honesta matrona domina Helena, relicta quondam Rûdegeri dicti Quaz, ducta speciali devotionis affectu, quam ad ecclesiam Mynensem praedictam gerere se asseruit, specialiter in remedium animarum bonae memoriae quondam domini Jacobi plebani in Constopil<sup>a</sup>) et vicarii eiusdem ecclesiae atque suae et progenitorum suorum domum suam, quam inhabitat dictam vulgariter das Fuchsloch, sitam sub curia honorabilis viri domini Johannis de Strelis praepositi ecclesiae Mynensis, coram nobis ac notario ac testibus infra scriptis altari in ecclesia Mynensi praedicta in latere ipsius versus curiam domini marchionis Mynensis sito et in honorem beatorum Jacobi apostoli et Georgii martyris nec non gloriosae virginis et martyris Dorotheae consecrato, libere sponte et ex certa scientia tradidit, dedit et donavit perfecta donatione inter vivos per vicarium sive altaristam altaris iam dicti — perpetuo post mortem ipsius possidendam, nihil sibi iuris aut dominii in eadem domo et eius area atque fundo, praeter nudum usum ad vitae suae tempora duntaxat reservando, resignans — dictam domum cum sua area atque fundo ac universis suis attinentiis in manibus discreti viri domini Heynrici de Schonynvelt, vicarii sive altaristae beatorum Symonis et Judae apostolorum in ecclesia Mynensi supradicta, qui est dominus hereditarius eiusdem domus nomine et ex parte dicti sui beneficii, cuique de ipsa solvitur annis singulis pro censu una libra cerae. Qui recepta resignatione — dictae domus et suae areae a domina Helena supra dicta, ipsam discreto viro domino Friderico de Wiltschicz vicario ecclesiae Mynensis et altaristae moderni altaris beatorum Jacobi, Georgii et Dorotheae supra dicti contulit ibidem praesenti et recipienti iure hereditario sive emphiteotico ab ipso et suis successoribus in praedicto altari beatorum Symonis et Judae per ipsum dominum Fridericum et suos successores perpetuis temporibus possidendam, ita tamen quod ipsa domina Helena de hac vita sublata, dominus Fridericus de Wiltschicz vicarius sive altarista altaris beatorum Jacobi, Georgii et Dorotheae praedictorum, seu quicumque eius in eodem beneficio successor debeat Heynrico et Hannemanno filiis dictae dominae Helenae vel alteri, si cui eas legandum duxerit, sex sexagenas grossorum usualium et pro tempore currentium solvere atque dare, sub hac tamen conditione, si domus ipsa salva et in eo statu, in quo nunc est, permanserit, quando possessionem ipsius dictus dominus Fridericus vel suus successor receperit vel recipere debeat corporalem. Si autem domum ipsam incendio, quod absit, ruina vel casu alio destrui vel annullari contingerit, antequam ipsius possessionem idem vicarius reciperet, ex tunc non sex, sed tres duntaxat sexagenas dictorum

a) Constappel, Eph. Dresden II.